

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

A. 1553. gressus fuerit in has regiones Albertus, rursus exulabimus, nisi belli saevitiae opprimamur. Quod pie filias Francisci Dyrandri nutritri & educari curatis, Deo gratum officium est, & tibi gratiam habeo, quod id mihi significasti, ubique eas commendo. Si mihi erit exulandum, accedam ad vos, ut de multis rebus colloquamur. Stancarus furere non desinir. Petivit à me Elector Marchio, ut de quibusdam controversiis à Stancaro motis, responderem. Inter cætera contendit, Christum esse mediatorem tantum secundum humanam naturam. Responsonis meæ exemplum vobis mittam. Nunc mitto has pægellas, quas addidi huic Epistolæ.

Debet hospiti suo Magistro Sebastiano Matthæo Wittembergensi, Johannes Weidner quadraginta Joachimicos & grossos duodecim. Valde te oro, ut Patri hortator sis, ut eam pecuniam numerari nostro collegæ curet. Bene & feliciter vale. Die Augusti 26. Anno 1553.

*Salutem vobis omnibus opto.*

Philippus.

## XV.

S. D. Clarissime Domine Doctor, Patrone colende. Spero te dudum accepisse literas, quibus respondi epistolæ tuæ, quæ de functione docendi elementa veræ de Deo doctrinæ in vestra schola mecum contulisti. Tibi pro paterna & perpetua erga me benevolentia tuâ gratiam habeo, ac ubicunque locorum simus, judicabo nos in una schola Ecclesiæ Dei vivere, quæ in his regionibus Dei beneficio tranquilla est & floret sub Principe Pio liberali & verè nutritio Ecclesiæ & scholarum. Aliquod vulnus acceperunt hæ Ecclesiæ Saxonicae ex obitu præstantissimi viri D. Johannis Oëpini, Superintendentis Hamburg. Eum paucis diebus secutus est D. Erasmus Alberus, qui in oppido hujus ditionis New brandenburg paucas septimanas præfuit. D. Morlinus nunc Brunswicensem Ecclesiam gubernat. In hac Academia doctrinæ Theologicæ studia gubernant D. Johannes Draconites & Doctor Johannes Aurifaber; Ego Evangelium Matthæi & Catechesin propono, in textuali enarratione Bibliorum usque ad II. caput Levitici perveni, ac spero DEUM mihi vitam tamdiu propagaturum esse, donec omnes libros Propheticos & Apostolicos ordine explicero. Ante paucos dies mihi desponsata est virgo Margarita, filia Laurentii Smets, præcipui senatoris in hac urbe. Sacrum nuptiale celebrabimus, DEO volente, postridie Martini. Te oro, ut conjugium nostrum piis preciis DEO commendes, quas cum non dubirem efficaces esse, amplissimi

plissimi muneris & thesauri loco ducam. Bene & feliciter vale & rescribe,  
Rostochii, 28. Augusti Anno 1553.

David Chyträus.

XVI.

**S**Alutem in eo, qui vetera facit transire, & nova cuncta succedens, is & hunc  
Sineunter novum annum tibi & tuis quam felicissime faciat illucefcere, Clari-  
fissime D. Doctor idemque observande in Domino Minor. Neq; enim ut hinc  
præfationem meam ordiar, ita te audeo appellare filium, ut tu me patrem, qui  
tibi sane collatus filius sum & te patrem reverenter agnosco. Accepi euidem  
gratus pias & eruditas tuas 14. scriptas, ipso die Thomæ, quibus si non, ut vo-  
lebani, nunc pro dignitate respondero, dabis veniam mihi à tergo omnia in  
isto vetere anno relinquenti, ad ea verò, quæ à fronte sunt, enitenti. Ob id  
spero facilius mihi condonaturum te, siquid in hoc scribendi officio haec tenus  
peccavi & neglexi. Sæcturnus, quantum Dominus dederit, illud, quicquid  
sit prætermissum. Ut autem breviter respondeam ad ista, quæ serio à me postu-  
lare videris. De nobili illo Turbatore Ecclesiarum, qui passim, ut audio,  
me in scriptis suis auctorem facit exortæ Tragœdiæ, de humana Christi natu-  
ra, quam primus ego omnium, contra illum ausus fuerim affirmare creaturam  
esse, deinde in conventu Schmalcaldensi, me tantum effecisse, ut non auditus,  
& causa non bene cognita sententiis Theologorum damnaretur. Ea videntur  
capita esse ad quæ responsum quaecunque meum petis. Et si quod dicitur lu-  
culentum mendacium non semper opus responso habeat. Tamen quod non  
diu videor fecisse, idem à me postulantibus Augustanis, præstabο & nunc,  
quantum per otium & tabellionis festinantiam licet. Tu pro tua prudentia  
piæ, facile de Schwenckfeldio, optimum & innocentiss. quemcunq; sycophan-  
tiis proscindente, judicabis. Idque ex illo suo volatili & amaro libro, quem  
doctiss. optimoq; nostro D. Philippo olim dedicavit, cui præfixit illud Theo-  
logorum Schmalcaldæ congregatorum decretum, meliore fide, à me nuper  
Augustam missum. In eo etiam meminit, quod ego, ut ipse soler creaturale  
negotium vocare, de ea causa cum eo egerim. Id quod ingenué fateor, sed  
non antea quam in Silesia, Argentinæ, Augusta, Memmingæ, aliisque locis  
prior ipse non semina tantum sparsit, sed & aliquam se bonam messem fecisse,  
jactavit, priusquam scilicet Ulmam ipse veniret, & me nunquam ei visum  
ad se vocaret, atque, ut solent Christologi, blandissime se insinuaret pollicere-  
turque, se etiam nos adjuturos contra papatum & promoturum Christi regnum.  
Sed ut fit angelo illi in lucem se transformanti, statim Satanicas unguis ostend-  
tavit.